



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Persequar inimicos meos & comprehendam illos. Et non conuertar donec
deficiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Dilatasti gressos meos subtus me,

Et non sunt infirmata uestigia mea.

Victis scilicet aduersarijs uerbi, & sermone dei confirmato, atq; per ipsos firmatis & auctis fidelibus, non modo non sunt coartati & imminuti, quod aduersarij uolebant, sed dilatati & confortati gressus eius, quod fecit mansuetudo dei multiplicante eam, etiam in uitis oppressoribus, quia multo plures per eos incedunt, quam antea dum opprimerentur, ut supra ex figura filiorum Israel in Aegypto monstrauit.

Idem est per tautologiam, uestigia mea non sunt infirmata, id est, robustissimi firmata, quae impij conati sunt infirmare. Negatiua enim diximus saepe esse uehementiorem affirmatiua in sac. lit. Tropum hunc hebraicum esse notum credo, Tropus hebraeus. quod firmare significat, statuere, implere, seruare, quomodo Apostolus Ro. iij. dicit legem per fidem non destrui, sed statui, Quae Ro. v. dicit infirmari per carnem. Et iterum, iij. promissionem dicit firmari per fidem, rursus non solum non firmari ex lege, sed etiam exinaniri. Eodem modo & hic dici oportet, uestigia firmata, esse uitam dei qua Ecclesia incedit corroborari, quod fit dum multiplicantur fideles, qui perambulant simul in ea.

Quare appellet autem suos gressus, & uestigia sua, cum sint gressus dei & uiae domini, supra dictum est. Ecclesia enim exemplo suo facit uias domini esse suas, & coram hominibus, ubi exemplum ualet, non uidetur nisi uia Ecclesiae esse, sed in fide cognoscitur, totum id, quicquid est, diuini operis esse.

Alijs uidetur dilatari gressus subtus Ecclesiam, esse eam hilari charitate operantem, quia angustijs persecutionum superior est, latitudo enim hilaritas & consilio est, sed consequentia non satis decora est.

Persequar inimicos meos & comprehendam illos.

Et non conuertar donec deficiant.

Experta benignitatem dei mirabilem, qui multiplicat, dum aduersarij minuit, dilatat dum illi ardeat, firmat dum infirmant, concipit fiduciam etiam persequendi & ultro insectandi, donec ad internitionem aduersarios deleat, atque ita factum est & fit in omni uictoria populi dei, ut in principio belli uideatur hostes superiores & insuperabiles, At facta impressione confortatur, hostes cedunt & cedunt, tum ipsa persequi praesidium ceptum non desinit, donec consumat omnes aduersarios. Quare hic uersus perseverantiam belli seu uictoriae & infatigabile usque ad finem uirtute Ecclesiae describit. Quod & uerba, persequar, ite comprehendam, non conuertar, donec deficiant, seu ut Hiero. uertit, donec consumem eos, satis probant. Persequar enim hic non nouum belli initium, sed profectum cepti significat, sicut psal. xxxij. Inquire pacem & persequere eam, id est, in finem usque sequere. Et comprehendam eos, significat in totum capi & penitus occupari eos.

Hoc figuratum est in bello Iosue contra Haicam, in quo filij Israel primus cecit & infirmati ad desperationem, deinde insidiosae fugientes, donec hostes longe ab urbe traherent, uersa facie in eos usque ad internitionem eos deleuerunt. Quo significabat spiritus fore, ut Ecclesia principio simulata fuga, id est passim omnibus secundum carnem infirmata, cedere uideret, cum secundum spiritum fidei fortis, tandem uinceret & penitus deleteret hostes. Sic Antiani primo fortes, tandem ad nihil usque consumpti sunt. Non sic in libris ludicum ubi toties scribitur, filios Israel non potuisse delere Iebusaeos.

Confringam